

thasar Rex morte fuit punitus, ut patet ex cap. 5. *Daniel*. Imo res sacræ, aut vasa consecrata, licet per fractionem, aut scissionem amittant consecrationem, aut benedictionem, adhuc in usus profanos converti non debent. Unde imagines sanctorum jam pervertustæ, aut deformatæ, non comburendæ, sed sepeliendæ sunt. Ligna quoque, & saxa Ecclesiæ dirutæ, vel comburenda, vel in alia religiosa loca construenda insumi debent, ut ex jure canonico præbat D. Thom. 3. p. 2. q. 83. art. 3. ad 3. Calix consecratus, aut patena, ut vendi, aut converti possint ad usus profanos, debet prius ejus materia igne, aut ferro ita immutari, quod totaliter priorem formam amittat.

96. Inq. 4. An res, quæ usibus profanis deservierunt, possint ad sacros usus converti? R. quod res profanas, mutando primam formam, aut figuram, convertere ad conficienda vestimenta, seu paramenta sacra licitum est. Patet ex communi praxi, qua matronarum vestes in casulas, & alia paramenta Ecclesiæ convertuntur. Ita etiam ipse domus prophana media benedictione in templa sacra, & Ecclesiæ dicata sunt, ut domus S. Lucinæ, S. Ceciliæ, Panteon quoque, seu templum omnium gentilitatis Deorum. Quia esto aliquam impuritatem, & fœditatem per priorem usum contraxissent, per consecrationem, aut benedictionem ecclesiasticam omnino purgantur.

CAPUT III.

De vitii religioni oppositis.

PUNCTUM I.

De superstitione.

97. Inq. 1. Quæ sint vitia religioni opposita? R. alia sunt per excessum, alia per defectum. Per excessum est *superstitio*, cujus sunt quatuor species, nempe *idolatria*, *divinatio*, *vana observantia*, & *magia*. Per defectum opponitur religioni *irreligiositas*, cujus pariter sunt quatuor species, *tentatio Dei*, *sacrilegium*, *blasphemia*, & *simonia*. Ita

Angelic. 2. a. q. 92.

98. Inq. 2. Quid sit superstitio? R. est *cultus vitiosus veri, vel falsi numinis*. Dicitur *veri, vel falsi numinis*, quia cultus potest esse vitiosus, vel quia exhibetur, cui debetur, sed modo indebito, & dicitur *cultus inoportunus*: vel quia exhibetur, cui non debetur, ut tribuere creaturæ cultum proprium Dei, & est *cultus indebitus*. Primus subdividitur in cultum *falsum*, & in cultum *superfluum*. Cultus falsus potest esse duplex; vel ex parte *rei cultæ*, vel ex parte *colentis*. Ex parte *rei cultæ*, ut si tribuatur cæremoniis judaicis, vel cœmentitiis miracula, vel falsas reliquias venerationi exponendo, aut divinis officiis turpia miscendo, quæ omnia sunt peccatum mortale; non solum in cultu publico, sed etiam potest esse in privato, ut si quis diceret orationem dominicam *Pater noster* pro se tantum, alios excludendo, quia oratio dominica pro omnibus est instituta. Ex parte *colentis*, ut si quis seingeret Sacerdotem, & Missam celebraret, aut quid simile efficeret. Cultus *superfluus* est, ut si quis audiret Missam tot candelis, & non aliter, vel Sacerdotis talis nominis, vel cum colore tantum albo, vel præcise nigro.

99. Inq. 3. An cultus superfluus semper sit peccatum grave? R. neg. quia non semper gravis irreverentia cultui divino per illum infertur, ut qui hanc, vel illam cæremoniã non valde gravem adderet, ut dicere *Alleluja*, quando dicenda non est, vel signare se, aut genuflectere, quando fieri non debet. Huc expectat sane plorandus modus canendi in Ecclesiis invecus, qui plus ad demulcendas aures, quam ad devotionem acundam deservire experientia testatur; id eoque justissime a Christianorum templis, domibus compunctionis, orationis, & adorationis Dei in spiritu, & veritate penitus relegari deberet.

100. Inq. 4. An qui die Dominico jejunaret, graviter peccaret? R. quod jejunare die Dominico pio animo, & propter carnis macerationem ex se opus bonum est. Nihilominus consultius omittitur jejunium tali die, ut omnes ad Ecclesiæ ritum, & morem se conformet. Qui autem je-

junaret diebus Dominicis propter aliquam adhesionem hæresi Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Christi Domini tali die jejunabant, gravissime peccaret. Ex quibus sequitur cultum superfluum posse esse peccatum grave, aut leve juxta gravitatem materiæ, & colentis intentionem. Quod quidem aliquando accidere potest etiam in cultu, qui dicitur *falsus*, propter parvitatem materiæ, ut si divinis officiis admisceantur aliqua tantum vana, non tamen turpia; quod, secluso scandalo, non reputatur irreverentia gravis, aut divino cultui notabiliter injuriosa, dummodo raro fiat.

PUNCTUM II.

De idolatria, & divinatione.

101. Inq. 1. Quid sit idolatria? R. est *cultus divinus exhibitus creaturæ*. Vel, *cultum proprium Dei tribuere creaturæ*. Si quippe cultus, non Deo soli debitus, creaturæ tribuatur, non est idolatria; nec similiter, si cultus Deo debitus, tribuatur creaturæ, non ut tali, sed in quantum in ea Deus splendet. Igitur omnis cultus, sive internus, sive externus soli Deo debitus, & creaturæ ut tali exhibitus, est idolatria. Ex genere suo est gravissimum peccatum, quia velut alium Deum ponit, & agit contra supremum Dei dominium, excellentiam, & honorem, quod est crimen læsæ Majestatis divinæ. Unde inter omnia peccata religioni, & omni virtuti morali opposita, maximum est idolatria. Odiu autem Dei, infidelitas, & desperatio graviora sunt, utpote virtutibus Theologicis opposita.

102. Potest idolatria esse, vel cum errore intellectus credendo alium Deum, aut plures Deos; vel absque errore spontanea, & libera; vel solum propter metum gravem, ut qui ad vitandam mortem idolis sacrificaret. Primo modo includit infidelitatem, & subjicitur *excommunicationi lætæ* contra hæreticos. Secundo modo solum opponitur confessioni fidei, & incurritur *excommunicatio non reservata* illata a Joanne XXII. Tertio modo minus grave peccatum est: igitur triplex datur idolatria, nempe per-

fecta, imperfecta, & ficta. Quodlibet peccatum dicitur etiam idolatria; juxta illud ad *Philippens.* 3. 19. *Quorum Deus ventus est*. Sed hæc est idolatria generalis. Ante diluvium non fuerunt idola, cæperunt coli post illud. Primus fuit Nemrod, seu Belus pater Ninii primus Rex simul, & tyrannus mundi, fundator Babilonis, & ejus superbæ turris. Author ergo tyrannidis, & confusiois fuit principium idolorum, de quo *Genes.* 10.

103. Inq. 1. Quid sit divinatio? R. est *prævniatio futurorum*. Tripliciter potest fieri; nempe ope Dei, vel ex vi causarum naturalium, vel ope Dæmonis. Prima fit per revelationem, & dicitur *prophetia*. Secunda per cognitionem causarum naturalium. Tertia a Dæmone acquiritur, & est secunda species superstitutionis, de qua loquimur in presenti. Desinitur *prævniatio futurorum ope Dæmonis facta*. Potest esse, vel cum pacto expresso, vel implicito Dæmonis. Quæ fit cum pacto expresso, & communi vocabulo dicitur *necromantia*, in novem species dividitur. Prima est *præstigiium*, quæ fit quando Dæmon fictis corporibus, figuris, aut præstigiis apparet. Secunda est *divinatio per somnia*: quando divinatores sperant per somnia instrui. Tertia est *necromantia*: quando quibusdam præcantationibus, sanguine adhibito, videntur resuscitari mortui, & ad interrogata respondere. Quarta est *divinatio per Phytones*: quando Dæmon futura prævniat per homines arreptitios, qui dicuntur *Phytones* a Pythone Appolline, qui primus Author divinandi olim putabatur. Quinta est *geomantia*: cum Dæmon per aliqua inanimata ut ligna, ferum, lapides futura docet, aut prævniat. Sexta est *idromantia*: quando signa apparent in aqua. Septima est *hiromantia*, si apparent in aere. Octava *geomantia*, si fiat in igne. Nona dicitur *haruspitium*: quando sunt signa in visceribus animalium immolatorum in aris Dæmonum: Ita D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3.

104. Divinatio cum pacto implicito Dæmonis etiam est duplex. Prima datur, quando ad cognoscenda futura aliquid consideratur in vanis dispositionibus rerum,

rum, quæ nullam ex se habent virtutem ad illa cognoscenda. Dividitur in alias sex species. *Prima est genethlia*: cum ex syderum motu, aut situ inquiruntur natalia hominum, & eventus eorum. *Secunda est iugurium*: Cum aliqua queruntur ex garritu, aut vocibus avium, & aliorum animalium, aut sternutationibus hominum. *Tertia est auspicium*: Cum fit ex avium volatu, vel motu aliorum animalium. *Quarta est omen*: Cum prædicatur ex hominum verbis, aut vocibus casualiter prolatis. *Quinta est chironantia*: Quando divinatio sumitur ex lineamentis manuum. *Sexta vocatur spatulamantia*: Quando sumitur ex quibusdam signis in spatula alicujus animalis apparentibus.

105. Secunda divinationis species, quæ fit cum pacto implicito Dæmonis, sumitur ex consideratione eorum, quæ eveniunt ex quibusdam ab hominibus serio factis. Et dividitur in duas species, quarum prima est *geomantia*: Cum per projectionem punctorum notitia futurorum investigatur. Secunda est *sorilegium*: Cum notitia queritur v. g. ex taxillorum projectione, vel ex festucis inæqualibus propositis, quis majorem, aut minorem deducat, aut aliis modis similibus.

106. Inq. 2. An omnes divinationis species assignatæ sint moraliter diversæ? R. negat. Quia licet divinatio facta per astra, ignem, aut aquam differat physice, & materialiter, ut furtum auri, argenti, vel vestis, non tribuit peccato diversitatem moralem; unde nec opus est eam in confessione manifestare, nisi aliqua specialis circumstantia occurrat.

107. Inq. 3. An divinatio per pactum expressum cum Dæmone specie differat ab ea, in qua tantum est pactum implicitum? R. negat. tum quia taciti, & expressi eadem est ratio; tum quia tantum differunt sicut perfectum, & imperfectum: Ideoque solum physice, non moraliter distinguuntur. Omnes tamen conveniunt in eo, quod divinatio per pactum expressum debet in confessione manifestari; quia saltem regulariter loquendo in pacto explicito Dæmonis plura alia peccata includuntur, aut ex eo consequuntur. Imo pactum expressum num-

quam potest adesse absque peccato gravi; pactum vero implicitum aliquando absque mortali potest reperiri, vel ratione ignorantia, vel parvitas materiae.

108. Inq. 4. An pacisci cum alio, quod præmoriens, superstitioni appareat, ut eum moneat de suæ animæ, & conscientia statu, licitum sit? R. quod quamvis pactum istud cum debita subjectione ad divinam voluntatem, absolute sit licitum; cæterum ob periculum illusionis consultius est a tali curiositate abstinere.

PUNCTUM III.

De divinatione per astra.

109. Inq. 1. An divinatio per astra aliquando sit licita? Pro resolutione nota, astrologiam esse duplicem. Aliam *naturalem*, aliam *judiciariam*. *Naturalis* est, quæ ex situ, motu, splendore, ortu, & occasu astrorum præannuntiat eclipses, ventos, pluvias, & similia ex cælorum motu pendentia. Hæc licita est apud omnes, quia tales effectus per suas causas cognosci valent, & conducere potest ad medicinam, navigationem, & agriculturam. Verum a Theologis parum utilis, & incerta merito reputatur, quia astrorum virtus valde incognita est, pendetque a multiplici causarum concursu, qui pluries impeditur; quare, experientia teste, Ephæmerides quotannis divulgatæ nihil aliud certo præannuntiant, quam vulgi crumenarum spoliū. Unde, qui eas certo crederet, peccatum leve superstitionis committeret.

110. Astrologia *judiciaria* est, quæ ex astrorum cursu, conjunctione, & aspectu prædicat futuros eventus fortuitos, præterita, vel præsentia, prorsus occulta, & actiones hominum liberas. Quatuor continet partes: *Prima revolutionum*, quæ ex astrorum vario concursu præannuntiat anni vicissitudines, sterilitatem, aut abundantiam, morbos, aut sanitatem. Hæc parum, aut nihil differt a naturali; ideoque licita est, dummodo non certo, sed conjecturaliter credatur. *Secunda* appellatur *Magisteria nativitatum*, vel *genethliaca*, quæ præannuntiat homini omnia, quæ ei in toto vitæ decursu eventura sunt, ut si pauper, aut dives erit, si

PUNCTUM IV.

De divinatione per somnia, auguria, & omina.

uxorem pulchram, aut deformem ducturus sit. *Tertia est electionum*, quæ prædicat in omni negotio, quid sit agendum, vel omittendum, quando domo exeundum, navigandum, aut equitandum.

Quarta dicitur *imaginum fabricatarum* consistens in eo quod Astrologi quasdam figuras, & characteres efficiunt, quæ ex sympathia cum figuris, quas in cælis adesse commentuntur, ut angues, ursas, naves, & similia contendunt habere virtutem a prædictis constellationibus participatam ad aliquos effectus causando. Quibus suppositis.

111. R. Omnes istas tres partes esse prorsus illicitas, & superstitionis: quia nec prædictæ figuræ, nec ipsæ constellationes habent virtutem, aut influxum naturalem ad effectus liberos producendos. Unde ridiculum est tribuere cælorum influxui, quod Æschiles casu testudinis ab Aquila volante demissæ occisus sit, & alia futura libera, ut matrimonia, divitias, paupertatem, & similia. Solum ergo aliqua futura, casusque fortuiti in communi conjecturaliter ut bella, aut disensiones possunt licite prædicti, aut præannuntari ab astrologia judiciaria; minime vero in particulari adhuc conjecturaliter, ideoque in hoc sensu damnata est a Xisto V. in constitutione *Moderator cæli, & terra*, edita anno 1586.

112. Astrologi nequeunt ex horoscopo, & puncto nativitatis certo prædicere temperamentum, & naturales inclinationes hominis: quia motus cæli rapidissimus est, nec plene potest agnosci præcisum punctum nativitatis. Unde solum ex conjecturis, & tantum contingenter præannuntari possunt prædictæ inclinationes. Similiter illicitum est consulere Astrologos ad revelanda delicta occulta, quia ad hæc cognoscenda nulla virtus est in astris. Idem dicas de illis hominibus, qui *Zahories* hispane vocantur, non enim videre queunt virtute naturali thesauros in terræ visceribus occultos, nec cadavera sub sarcophagis constituta, nisi superstitione, & ope Dæmonis. Solum ergo agnosci naturaliter possunt metalla in terræ visceribus inclusa, & venæ aquæ ex vaporibus, & aliis signis naturalibus ex ipsa terra, & aqua promanantibus.

Tom. I.

113. Quatuor sunt causæ somniorum; duæ intrinsecæ, & duæ extrinsecæ. *Prima causa intrinseca est animalis*, sic dicta, quia oritur a passionibus homini, & brutis communibus: quia ratione etiam bruta somnare assereunt Philosophi. *Secunda est corporalis orta ex temperamento, & humoribus corporis*, qui si fuerint frigidi, aut terrei, causant summersiones, navigationes, afflictiones, vel alia somnia tristia; si autem sanguinei causant somnia læta. *Prima causa extrinseca est corporalis*, nempe aeris ambientis temperies, vel influxus astrorum. *Secunda spiritualis nempe Deus, sive Diabolus*. Quibus prænotatis.

114. Inq. 1. An sit licita divinatio per somnia, sive *onyromantia*? R. 1. Licitum esse divinare per somnia a Deo immissa, ut patet in utroque Patriarcha Joseph, & in tribus Magis, qui in somniis admoniti fuerunt a Deo, sive immediate per se, sive per Angelos, imo græve peccatum esset eis fidem non præbere, quando certo, aut probabiliter constaret esse a Deo: quia Deo loquenti fides adhibenda est. Signum autem erit a Deo esse, quando honesta sicut, nec animum perturbent, sed ad bonum potius inclinent. Si vero his contraria offerant, signum est a Diabolo provenire. Ideoque somniorum discretio a prudenti Confessario caute discutienda est, ab eoque eisdem regulis, quibus revelationes, etiam somnia examinanda sunt. In dubio tamquam a Dæmone immissa sperni debent.

115. R. 2. Divinationem per somnia naturalia esse licitam, quia hæc somnia ex causis naturalibus oriuntur, nempe ex humorum abundantia, & qualitate temperamenti: quilibet autem potest licite causas ex effectibus divinare. Unde medici optime observant somnia, ut agnoscant causas morborum, infirmique temperamentum, & de remedio opportuno provideant.

116. Resp. 3. Divinare futura libera, Sss aut

aut casus fortuitos per somnia esse illicitum, & grave peccatum: quia eventus fortuiti, & multo minus futura libera ex somniis nullo modo dependent: ergo si quis ea ex somniis certo prænuuntiat, sigum est a Diabolo accepisse. Quapropter superstitiosi sunt illi, qui certa positura, situ, vel modo in lecto se collocant, ut in somniis eis futura revelentur: sicut & alii, qui infirmorum pulvinaribus stratas, instrumenta textoria, & alia subiiciunt, ut tranquillum somnum capiant: quia nulla connexio inter somnum quietum, & talia instrumenta naturaliter intervenire potest.

117. R. 4. Quod licet somnia eventibus comprobentur, caute tamen observanda sunt: quia possunt immitti ab astutiâ Dæmonum, ut in his observationibus homines implicati curiosiores fiant, & se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris, inquit D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 3. ad 2. Unde credere certo somnia, aut per ea passim se gubernare ad agendum, grave peccatum superstitionis est: quia hoc esset somniis a Dæmone immissis fidem præbere: quod quidem grave scelus merito computatur, sive cum pacto explicito, sive implicito fiat. Regulariter autem somniis aliquantulum credere, vel ex eis timere, aut aliquid expectare per simplicitatem, aut ignorantiam, non est grave peccatum; imo aliquando a peccatis respiscere ob metum in somniis incussum, licitum, & laudabile erit, quia tunc prudenter credere potest a Deo procedere, ut ad meliorem fugam reducat.

118. Inq. 2. An divinare per *auguria*, hoc est ex cantu, & volatu avium sit licitum? R. quod divinare, aut prædicere aliquos effectus naturales, ut tempestatem, vel pluviam ex motu, volatu, voce, aut aliis signis avium, aliorumque animalium esse licitum: quia tales motus, & voces animalium sunt prædictorum aeris effectuum signa naturalia: nam cum eorum phantasia mutationem aeris cito percipiat, ad illas actiones naturaliter moventur. Verum futura contingentia, aut libera ex eis divinare, supersticiosum est: quia nulla inter hæc futura libera, & animalium voces, aut motus, datur naturalis connexio, & de-

pendentia. Unde Deuteronom. 16. dicitur: *Non inveniatur in te, qui observet auguria.* Inq. 19. Objicit. Ex illo Genes. 44. Ubi Joseph fratribus suis dixit: *An ignoratis, quod non sit similis mei in scientia augurandi?* ergo. R. quod Joseph ibi fuit locutus non serio, sed joco, & juxta morem gentilium, qui eius spiritum propheticum credebant augurium.

120. Inq. 13. An divinare per *omina*, hoc est, ex vocibus humanis, aut eventibus fortuitis licitum sit. R. neg. quia nec verba humana, nec prædicti eventus ullam connexionem, aut influxum naturalem habent cum futuris contingentibus. Unde superstitionis sunt sequentia: si quis mane domo egrediens canem, aut fellem offendat, si ei monoculus, aut claudus, vel porcus, aut mustella occurrat. Si mane extenuaverit, & similia, quæ a gentilibus accepta sunt ut inauspata.

121. Inq. 4. An divinare ex corporis humani membris sit superstitio? R. Quatuor modis hæc divinationem fieri posse. 1. Ex lineis manuum, & dicitur *chiromantia*. 2. Ex pedum lineis, & vocatur *pedomantia*. 3. Ex qualitate vultus, & lineis frontis, & dicitur *metoposcopia*. 4. Ex toto corpore, ejusque membris, & appellatur *physiognomia*. Hæc autem divinatio potest esse naturalis, vel astrologica: prima est licita: patet ex cap. 19. Ecclesiastici. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occurso faciei cognoscitur sensatus.* Quare parvi oculi invidiam, magni stupiditatem indicant: quia primi similes sunt oculis simiæ, secundi bobis, & asini, in quibus animalibus prædicti defectus inveniuntur. Unde illud proloquium verum reputatur: *A signatis a natura cavendum est.* Cæterum divinare ex prædictis lineamentis corporis futura libera, & futura contingentia, supersticiosum est: quia ratione consulere Egypcius, vulgo *Gitanas*, ut ex manuum ostensione sortem, aut fortunam annuntient, si serio peragatur, grave peccatum superstitionis est; si autem joci causa fiat, peccatum veniale curiositatis esse docent communiter authores.

PUNCTUM V.
De sortilegio, aut divinatione per sortes.

122. Inq. 1. Quid sit *sors*? R. est actio aliqua facta, ut ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat. Dividitur in *divisoria*, *consultoria*, & *divinatoriam*. *Divisoria* est, per quam dignoscitur, quid unicuique contingat. *Consultoria*, per quam a Deo queritur, quid agendum, vel cavendum sit. *Divinatoria*, per quam a Dæmone tacite, vel expresse queritur occultorum revelatio, quidve futurum sit. Hoc semper est illicitum.

123. Inq. 2. An sit licitum uti sortibus *divisoriis*? R. affirm. quia istæ nihil aliud sunt, quam mutuum pactum, quo homines conveniunt, ut ex eventu sortium decidatur, cui res, honor, dignitas, aut officium debeat applicari. Unde cum res est indivisibilis, & æquali jure, & probabilitate de ea contentum litigantes apud judicem, potest hic sortibus litem dirimere. Idem dicendum de duobus æqualiter idoneis ad aliquid officium, aut dignitatem temporalem.

124. Cæterum nulla electio per sortes ad beneficia ecclesiastica est licita: quia ita cavetur cap. Ecclesia; extra de sortilegiis: ubi dicitur: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Electio facta per sortes Prælati habentis jurisdictionem ecclesiasticam, sive in criminalibus, sive in civilibus, est nulla: constat ex cap. Quia propter, de elect. Possunt tamen lites circa electionem ad beneficia, vel ad quamcumque dignitatem ecclesiasticam licite per sortes terminari autoritate Judicis ecclesiastici, ad quem expectat titulum beneficij, aut dignitatis conferre. Similiter controversia inter duos uter in summum Pontificem vere sit electus, valet licite dirimi per sortes consensu, & autoritate Cardinalium, ad quos electio Pontificis atinet.

125. Inq. 3. An divinatione per sortes *consultoria* sit licita? R. Sortitio consultoria, quæ a Deo debitis circumstantiis imploratur, est licita: patet ex pluribus

locis sacræ paginæ ut Josue cap. 17. 1. Reg. cap. 14. & Act. 1. Ubi Apostoli per sortes elegerunt Matthiam in Apostolum. Ad licitum tamen sortitionis usum quatuor requiruntur circumstantiæ. 1. Necessitas spiritualis, aut temporalis; alias erit tentatio Dei. 2. Magna reverentia, & obsequium erga Deum, ut fecerunt Apostoli in electione Matthiæ. 3. Ne divina oracula ad terrena negotia convertantur, ut si quis paginis evangelicis, aut sanctorum reliquiis ad temporalia uteretur. 4. Ne hæc sortitio ad beneficia ecclesiastica adhibeatur. Verum, quia raro prædictæ circumstantiæ nunc adesse possunt, vix hujusmodi sortitio licita esse quit: cum his temporibus magis velit Deus ex scripturis sanctis, Ecclesiæ oraculis, sapientumque consiliis suam mentem rimentur homines, quam sortibus consultoriis indigant. Ita D. Th. 2. 2. q. 95. art. 8.

126. Inq. 4. Cur fatui, & stupidi, & morti proximi divinant præ aliis sana mente pollutibus? R. Hoc provenire ex eo, quod pueri, aut stupidi prudentia, & acumine destituti quendam habent affinitatem cum brutis, quæ hominibus præstant in cognitione effectuum a causis naturalibus provenientium: unde pisces nautis tempestatem, aves agricolis, & armenta pastoribus pluviam, mures etiam festinanter fugientes domus ruinam incolis prænuuntiant. E contra dormientes præ vigilantibus divinant: quia anima in somnis a sensibus, & rebus externis abstracta, interior colligitur. Hinc est, quod Deus dormientibus aliqua revelavit: quia animam tranquillam, & solutam ab externis impedimentis reperiebat. Hac ipsa ratione asserunt Philosophi, & SS. Patres homines morti proximis sæpe futura divinare, quod si verum est, fieri credimus, vel Deo revelante, ut in Jacob, Moysè, & aliis justis: vel propter rationem naturalem supra expositam. Moribundi divinare dicuntur, quia vis animæ proximæ æternitati sua subtilitate aliquid pecuniare sentit, ac prævidet, ut ait D. Greg. tom. 3. Dialog. lib. 4. cap. 26. & 27.

РУКСТУХ VI.

De vana observantia.

127. Inq. 1. Quid sit vana observantia? R. est *superstitio, qua mediis inutilibus nec a Deo, nec natura institutis, aliquis effectus exterior intenditur*. Dividitur in tres species: Prima est *ars notoria*. 2. *observantia sanitatum*. 3. *observantia futurorum eventuum*. *Ars notoria* est, qua quis expectat se scientiam adepturum sine labore, & studio per quarundam figurarum inspectiones, jejunia, & similia omnino vana, & inutilia; ex genere sub est peccatum mortale, quia nec a Deo, nec a natura ad scientiam acquisitionem talia media sunt ordinata; ergo solum potest adipisci ex pacto implicito, vel explicito Dæmonis. Nihilominus, si vere adquiratur, dummodo in sui conservatione a Diabolo non dependeat, ea uti licitum est. Scientia enim ex se bona est, & peccatum jam pertransiit. Sed nullus umquam per Dæmones scientiam acquisivit, ait D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 1.

128. *Observantia sanitatum* est adhibere ceremonias, orationes, imagines astronomicas, vel alia media ex se inefficacia ad conservandam vitam, seu morbos curandos: quia hæc media nec a Deo, nec a natura habent influxum, nec proportionem ad tales effectus. Ideoque superstitiosum est secum deferre amuleta, periamata, brevia, involucra, reliquias, preces descriptas, & similia, cum certa confidentia, quod sine confessione non morientur, vel quod ab his, vel illis armis non lædentur.

129. Unde, ut superstitiosi habendi sunt sequentes casus: anulum ferreum ex filo pendentem moveri quibusdam sacris verbis prolatis. Anulum factum ex primo nummo crucifixo oblato in die Parasceves morbum contractionis depellere. Aliquos natos tali die, dum canitur passio Domini, videre in visceribus terræ thesauros, aut cadavera occulta. Colligere herbas medicinales, vel rorem matutinum diebus S. Joannis, & S. Petri, credendo ex hoc majorem virtutem ad sanitatem prædictis rebus accrescere. Cir-

cumducere equos, aut jumenta circa templum S. Antonii in die ipsi dicato, maxime si credatur novies id fieri debere ad eorum incolumentem. Sed aliud est, quod fit, aliud quod fieri debet. Portare jumenta, ut benedicatur circa fores templi, licitum est.

130. Superstitio etiam est observare dies faustos, vel infaustos: ut Hebreis infaustus est dies Lunæ, quia putant eo die natum fuisse Cain. Atheniensibus infaustus est dies Martis, & alii alii arbitrarie excogitati: quia revera omnes dies sunt ejusdem naturæ. Observantia vero dierum, quos *criticos* vocant, nulla est superstitio, nititur enim causis naturalibus: ideo observatio etiam dierum lunæ crescentis, vel decrescantis licita est: & juvare valet pro rerum naturalium conservatione; nam experientia constat ligna tali die lunæ abscissa cito corrodi; sana vero consistere si alio die prædicantur. Pro omnibus observanda est regula, quod tunc superstitio in aliqua actione, aut opere censenda est, quando causa ad aliquem effectum producendum adhibetur, quæ nec ex se, nec ex divina institutione ullo modo in talem effectum influere valet.

131. Inq. 2. An catholici debeant observare aliquos dies faustos, & infaustos? R. affirm. imprimis debent sæpe recolere tamquam faustissimum diem, quo baptismum receperunt, ingressique fuerunt januas veræ Ecclesiæ, quæ tot nationibus sunt occlusæ. Deinde si sacerdos sit, aut religiosus, debet dies suæ ordinationis, aut professionis celebrare, recogitans hæc beneficia intimo cordis affectu, gratias assiduas agendo munifico omnium largitori. Dies infaustos deplorare debet catholicus illos, in quibus forte amisit gratiam in baptismo receptam, & alios in quibus Deum graviter offendit. De istis intime semper doleat, de primis gratus Domino jugiter gaudeat.

132. *Observantia futurorum eventuum*, seu fortunorum est *præcognitio rei prosperæ, seu adversæ ex observatione quarundam impertinentium*: hujusmodi est observare dies, tempora, occursum hominum, vel animalium ad aliquid agendum, vel omittendum: ut credere infaustum unguis præcidere die veneris. do-

mo

mo egrediens pedem sinistrum primum deducere, vestem rodi a soricibus: unde illud dictum a Catone consulto a quodam, qui sibi a soricibus caligas corras dicebat, respondit non esse illud monstruosum: sed revera monstruosum habendum fore, si sorices a caligis roderentur. Omnes itaque similes observationes spernendæ sunt, utpote reliquæ antiquæ superstitiosis a gentilibus derivatæ, ut inquit D. Th. 2. 2. q. 96. art. 3.

РУКСТУХ VII.

De magia.

133. Inq. 1. Quid sit magia? R. est *ars, per quam mira, & insolita ab hominibus operantur*. Dividitur in *naturalem, & superstitiosam*. *Naturalis* est, quæ causas naturales communiter occultas applicando mira operatur. *Superstitiosa* est, per quam homines ope Dæmonis operantur. *Magia naturalis* non solum est licita, sed laudabilis apud omnes gentes. Patet ex cap. 30. *Genes.* ubi Jacob virgas amigdalinas ex parte deglabratis in canalibus aquæ affixit, ut oves eas intuentes parerent maculatas. Similiter Tobias hac magia usus est, dum felle piscis visum patri restituit ex consilio Raphaelis. Quoniam mirabiles sunt virtutes a natura insitæ animalibus, arboribus, herbis, lapidibus, aquis, & aliis mixtis, ut experientia comprobatur in magne, torpedine, & pisce *Echine*, vulgo *remora*.

134. Difficultas autem præcipua est in cognoscendo, quando effectus mirabiles a causa naturali, vel superstitiosa procedant. Sed licet difficilis sit eorum discretio, cognoscetur tamen dari magiam superstitiosam, si causa nequit naturaliter ex se effectum producere: si adhibeantur ligaturæ, characteres, nomina ignota, vel alia ad rem inutilia: denique si detur actio in distans, vel effectus breviori tempore, quam natura exigit, habeatur, aut humanam superet industriam, ut si homo repente sanus fiat, aut si brevi tempore plures leucæ conficiantur. In dubio autem præsumendum est effectum esse a causa naturali, dummodo nihil superstitiosis in ea appareat,

Tom. I.

nec intendatur: quia non omnium causarum naturalium virtutes dignoscuntur, & plures earum adeo effectus mirabiles produciunt, ut miracula videantur, licet re ipsa naturales sint.

135. Inquires: An detur in aliquibus personis virtus sanandi rabiem, & alios morbos? R. dari virtutem, non quidem naturalem, sed supernaturalem, & *gratiam gratis datam* aliquibus concessam ad medendas quasdam infirmitates. Ut patet in Galliæ Regibus, de quibus asserunt aliqui contra alios habere gratiam sanandi Strumas, vulgo *Lamparones*. Et de aliis familiis nobilibus non longe a civitate Lucronensi comprobata est similis virtus, præcipue ad uniendo, solidandaque ossa confracta: de quibus imprudentia, & temeritas esset malum suspicari: non enim aliud lucrum ex sua operatione reportant, nisi exercitium patientiæ, & caritatis. Unde similis virtus reperitur etiam in aliis hominibus, qui Salutatores vulgo appellantur, licet non omnes, qui tali munere funguntur, veram gratiam sanitatis habeant, ideoque accurate examinari ab Episcopis debent. Posse autem reperiri *gratias gratis datas* in peccatoribus, aut etiam in gentilibus, ut prophetia in aliquibus Sibyllis, & precipue in ea, quæ prænuntiavit de Christo: traditur a D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3.

136. Nec cito credens, nec incredulus debet esse homo, sed caute procedere. Regulariter vero despiciendi sunt ut superstitiosi sequentes: qui se futura cognoscere dicunt: qui laminas ignitas sine læsione calcant: carbones ardentes manibus contrectant: cibarium accensum ingrediuntur: halitu fornacem calefaciunt: qui habent rotam sanctæ Catharinæ: vel palmam sanctæ Quiteriæ in corpore impressam: qui se invicem agnoscunt, quin umquam videriat: qui vino madidi efficaciorum habent virtutem: qui in adventu alterius, vel præsentia majorem virtutem habentis, se nihil posse dicunt: qui salutandi munus ab aliis discent: Qui hanc virtutem se habere credunt ex septimo partu masculino, vel ex eo, quod nati sunt feria 6. Parasceves: qui denique ad medendum utuntur certis verbis, vel signis, sine quibus nihil se posse

Tit

fa-

facere putant. Quia in his omnibus, cum sint ex se peccaminosa, vel inania, nullamque ad effectum vim habentia, pactum explicitum, vel implicitum cum Dæmone inveniunt.

PUNCTUM VIII.

De ensalmis, & fascinatione.

137. Inq. 1. Quid sit ensalmus? R. ensalmus, qui sic appellatur, quia communiter ex Psalmorum verbis componitur, est quædam orationes ex certis verborum, præsertim sacrorum, formulis ordinata ad morbos, & vulnera sananda. Dicitur in invocativum, & constitutivum. Invocativus datur, quando certis verbis sacris oramus Deum ad obtinendam salutem corporalem pro infirmo; vel ad advertendum a nobis, vel a proximo aliquid nocivum, sperando, non infallibiliter, sed ex divina misericordia effectum: quod quidem bonum, & laudabile est, & a Deo, & Ecclesie approbatum. Constitutivus est oratio certis verbis composita, cui tribuitur virtus infallibilis, aut ex opere operato ad sanandum: qui quidem est prorsus illicitus, quia talibus verbis nulla inest virtus naturalis, nec a Deo communicata ad sanitatem: ergo solum a Dæmone potest provenire.

138. Fascinatio est passio oculis innata, & concepta, profecta ex quadam affectione anime maligna illius, qui intuetur. Dividitur in naturalem, & diabolicam. Naturalis physica, seu vulgaris est immutatio cordis, ex vehementi imaginatione, ex qua generantur humores putridi, quorum virus per oculos ad aërem contiguum transit, & intra determinatam distantiam inficit eos, ad quos visio terminatur, maxime si sint debilis complexionis. Verum quia opinio vulgi credit solam visionem aspicientis invidio animo ad hoc sufficere, dicitur fascinatio vulgaris. Fascinatio diabolica est perniciosissima quædam qualitas Dæmonum arte illata inficiens eos, quos maleficus livide aspexerit ex pacto tacito, vel expresso cum Dæmone.

139. Inq. 2. An detur virtus naturalis fascinandi? R. 1. Quod fascinatio vulgaris consistens in sola visione est impossi-

bilis, nisi ex pacto Dæmonis: quia visio non fit per emissionem radiorum, sed per receptionem specierum ab objecto viso, & est actio immanens: ergo si sola visione alicui lædunt, arti Dæmonis tribuendum est. Quod plerumque malefici efficiunt, quia paciscuntur cum Dæmone, ut quos livide, & iracunde aspexerint, ipsos inficiant. R. 2. dari virtutem naturalem fascinandi, quæ quidem consistit in quibusdam spiritibus venenosis, qui egressi per oculos, nares, os, aliosque meatus corporis, aërem proximum, homines, arbores, & alia inficiunt, ut patet in Basilisco, muliere menstruata, & aliis, qui solo contactu carnes, & pisces putrefaciunt. Quod provenit ex infectis qualitatibus aspicientis, aut tangentis, a quibus spiritus venenosi procedunt: hoc autem non est proprie fascinatio, sed infectio, aut contagium. Igitur habens hanc virtutem naturalem alios inficiendi tenetur sub gravi, quantum fieri possit, ab hominum consortio, & aspectu abstinere: nam quilibet tenetur ex caritate, & iustitia cavere, ne alicui iacerat nocuentum.

PUNCTUM IX.

De maleficio.

140. Inq. 1. Quid sit maleficio? R. est ars, seu magia, qua quis ope Dæmonis alteri nocet. Est duplex: veneficum, quo utuntur malefici ad nocendum hominibus, animalibus, vel plantis: & amatorium, quo utuntur ad excitandum amorem carnalem, vel odium eorum, quos amare debemus. Veneficum maleficio, quod ita vocatur a veneno, quo conficitur, pluries fit injecto pulvere in cibum, & potum, aut per vestes disperso, juxta varietatem autem coloris nocuentum inferunt. Si fuerit rufus, morbus tantum contrahitur, si fuerit niger, mors evenit. Hoc vero non ex varietate coloris, sed ex pacto Dæmonis provenire potest. Maleficio amatorium, quod philtum græce dicitur, duplici modo exerceri solet. Primo, dando hominibus aliqua in cibum, vel potum, quibus ad amorem, & venerem excitentur. Secundo, assuendo maleficio vesti, vel abscondendo sub lecto,

lecto, vel in limine ostii, aut ex cera, argilla, plumbo, aut simili materia imagines fabricando.

141. Remedia, quæ antiqui Philosophi scripserunt contra hoc maleficio, vana sunt: quare herba *promethea*, hirci urina, lupi virga, & alia ridicula prorsus illicita, & superstitiosa sunt ad hæc maleficia, & philtro sananda: quapropter solum adhiberi debent remedia ab Ecclesia instituta, nempe exorcismi, assidua novissimorum meditatio, sacramentalium frequentia, signum crucis, usus sacramentorum, continua ad Deum, B. Virginem, & sanctos humilis deprecatio, corporis mortificatio, & alia hujus generis, quæ vera sunt remedia contra Dæmonis maleficia.

142. Nihilominus licitum est uti naturalibus remediis, quæ prodesse possunt indirecte ad Dæmones expellendos, & directe ad sedandos humores noxios, quibus residere solent: unde *Tobia* 6. & 8. legitur: quod fumus jecoris piscis compescuit Asmodeum. Et 1. *Reg.* 16. quod pulsatio citharæ David refocilabat Saul, & spiritus malus recedebat ab eo. Plures quoque herbas, ut rutham, verbenam, abrotanum, salviam, aliasque plantas valde contra maleficia prodesse, in quantum pravos humores expellunt, aut corrugunt, docent communiter philosophi, & medici.

143. Inquires 2. An sit licitum maleficio alio maleficio tollere? R. negative: quia esset unum peccatum aliud peccato compescere, quod omnino illicitum est. Ideoque reputatur perpetuum maleficio, quod absque ope Dæmonis tolli nequeat.

144. Inquires 3. An sit licitum petere a maleficio, ut maleficio auferat, quando constat, illum posse mediis licitis tollere? R. affirm. quia licitum est petere pecunias ab usurario, & sacramenta a Sacerdote indigno, necessitate cogente, non alia ratione, nisi quia ipsi licite possunt ea tribuere, & malitia, si qua sit, ex sola eorum prava voluntate oritur: ergo similiter in præsentia. Unde etiam potest quilibet signa malefici destruere, quia signorum destructio non est effectus artis magicæ, sed operatio naturalis ex caritate, & iustitia debita.

Ut si dicat Dæmon, durabit maleficio, donec patiens non se lavet, vel vino non utatur, aut tale filum non rumpat, poterit hoc rumpere, se lavare, & vino uti. Advertet tamen, quod si ignoret, aut dubites, an maleficus habeat media licita ad tollendum maleficio, non vales ab eo petere, ut illud auferat: quia tunc te exponeres periculo cooperationis, peteres enim actionem, quam ignoras posse licite fieri.

145. Inquires 4. An maleficus, qui Dæmoni chirographum proprio sanguine subscriptum tradidit, debeat illud prius recuperare, ut bene pænitere possit? R. neg. quia per veram poenitentiam omne delictum, & chirographum deletur.

146. Inquires 5. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum maleficio? R. quod præter alia necessaria ad veram, integramque confessionem, debet eos interrogare 1. An pactum cum Dæmone inierint? Deoque, ejus fidei, aut sacramentis abrenunciaverint? Et tunc illis dicit pactum, seu chirographum penitus tolli per dolorosam confessionem prædicti criminis, renuntiarique Dæmoni, & ejus artibus. 2. An crediderint Dæmonem esse Deum, vel ut talem adoraverint? In quo casu dantur diversa peccata hæresis, & idolatriæ. 3. An maleficio ex rebus sacris confecerint, credendo in eis adesse virtutem ad pravos effectus? Et tunc sacrilegium, & hæresim committunt. 4. An cum Dæmone congressus carnales habuerint? In quolibet enim saltem triplex peccatum gravissimum committunt, nempe contra castitatem, contra naturam, & religionem. 5. An per maleficia damnum intulerint? quia tunc ex violatione justitiæ ad restitutionem tenentur. 6. An habeant libros, instrumenta, vasa, aut alia, quibus nocere solent. Tunc enim absolvendi non sunt, quin prius ea omnia tradant Confessario, destruant, vel comburant. Instruendi sunt in doctrina sana, ne amplius in similia crimina dilabantur. Hæc omnia intelligas etiam de lamiis, & sagis, de quibus statim.

PUNCTUM X.

De lamiis, seu sagis.

147. Mulierculæ quædam præsertim vetula, quæ tamquam discipulæ obsequio, & doctrinæ Dæmonis se manciant, quasque communi vocabulo hispane dicimus *Brujas*, quadruplici nomine dignoscuntur. 1. Dicuntur *lamiæ* a lamia animal quoddam monstruosum facile muliebri, pueros, & juvenes blanditiis allectos devorans, de quo Jeremiæ 4. *Sed, & lamiæ nudaverunt mammam.* 2. Vocantur *sagæ* a sagacitate, sive a sagiendo: eo quod futura, & occulta scire cupientes Dæmoni instruendas se tradunt. 3. Dicuntur *veneficæ*, seu maleficæ, quia maleficiis nocere student, & a veneno, quo utuntur. 4. Appellantur *striges* a quadam ave nocturna Strix dicta, quæ noctu volans stridet, & infantum sanguinem sugit.

148. Causa autem, cur mulieres præ viris hujusmodi maleficiis inveniuntur deditæ, multiplex est. 1. Innata mulierum levitas, & credulitas, ex qua aptius a Dæmone decipiuntur. 2. Debilitas complexionis facilior ad suggestiones Dæmonis amplexandas. 3. Nimia ira, vindictæque cupiditas contra ipsas despicientes, aut injuriantes, unde cum nequeant armis, se ulciscuntur maleficiis. 4. Imperfectio intellectus, ex qua sunt magis dispositæ ad Dæmonis illusiones. 5. Carnalis libido, quam non valentes cum hominibus, cum Dæmonibus explent in nocturnis congressibus. Unde sequitur etiam vetulas potius quam juvenes hujusmodi scholam frequentare. Tum ob prædictam rationem, tum quia sanguinem infantum ad vitam conservandam, ex Dæmonis suggestu aptissimum credunt.

149. Cur vero puerulis præ adultis noceant, difficilium capitur, cum pendeat præcipue a divina voluntate ita permitte. Nihilominus congruenter respondetur, hoc accidere in pænam parentum, vel ad eorum probationem, vel quia puerilis ætas imbecillior est ad resisten-

dum, & impotens ad eas revelandum, vel quia credunt ad conventicula nocturna se deferri non posse, quin prius eorum corporibus truncis, abscessis pedibus, manibus, & capite unguentum pessimum conficiant.

150. Inquires 1. An lamia, seu sago de loco in locum a Dæmone asportentur? R. affirm. quia hoc non excedit virtutem naturalem Dæmonum, ideoque licet frequentius mere phantastica sint commercia sagarum cum Dæmonibus; interdum tamen vere, & realiter in corporibus illa exercent, Dæmonumque conventiculis nocturnis sagæ intersunt. Quod satis superque constat ipsarum confessione, Nihilominus esto eis videatur domo januis clausis, ope Dæmonis ingredi, non ita contingit, sed Dæmon velocissimi me eas aperit, & claudit.

151. Inquires 2. An ex congressu carnali cum Dæmone possit dari vera generatio? R. affirm. quia licet non habeat, nec possit ex se emittere verum semen, potest tamen semen hominis abripere, & applicareatrici aptæ mulieris: unde communior Theologorum opinio sentit dari Dæmones vere incubos, ex quibus possit proles generari, & ita genitum fuisse Lutherum asserunt aliqui, & D. Hieronymus in Isaiam cap. 16. tradit ex Dæmone incubo Antichristum esse generandum. Nihilominus hujusmodi homines nec sunt, nec debent haberi ut filii Dæmonis, sed illius hominis, cuius fuit semen furatum; proindeque vere contrahunt peccatum originale, quia procedunt ex viro, & muliere per seminalem propagationem. Ita cum D. Aug. D. Thom. 1. p. 2. q. 51. art. 3. ad 6.

152. Olim in quibusdam oppidis Salamanticæ vicinis fiebat mansueta cicuratio Tauri truculenti, qui vocatus in nomine Domini, & sancti Marci hujus pervigilio armenta deserens velut ovis vocantes sequebatur, templum ingrediens, divinisque officiis assistens cum omni tranquillitate, usque dum illis persolutis, abire permittebatur; tunc autem recuperata antiqua ferocitate revertebatur ad pascua. Inquiritur an prædicta cicuratio facta fuerit miraculosè, vel virtute Dæmonis? R. 1. non factam fuisse miraculosè, quia Deus miracula non facit abs-

que

que necessitate, aut utilitate, quæ in præteriti casu non aderant. Præterea sancti non oblectantur nisi rebus, quibus Deus colitur; assistentia autem tauri divinis officiis Deus non colitur, sed potius offenditur, cum ex ea solum sequatur Ecclesie conspurcatio, adstantium indevotio, populi disolutio, & puerorum inquietudo. *153. R. 2. illam cicurationem non factam fuisse per artem magicam, imprudens enim, & simplicis plebiculæ proprius est recursus ad virtutem Dæmonis in operum patrione, quæ per industriam humanam fieri possunt, & solent. In tauri ergo cicuratione quid invenitur industriam hominis excedens? Non vidimus, & legimus Ursos, Leones, & alia fera animalia fere supra fidem per solertiam hominum mansueta? quid ergo mirum, quod in nostro casu armentorum custos, pecuniæ, & vanitatis incentivis allectus, taurum in anni decursu mansuefaceret? Nihil ergo miraculi, nihil Dæmonis interveniebat, omnia naturaliter contingebant. Et nihilominus admiscebatur aliquid superstitionis, quia indebito modo cultus Deo tribuebatur, & ideo abolita est talis consuetudo: ita Feyjoo cum Laguna, aliisque quamplurimis Criticis.*

154. Inquires 4. Quas poenas incurrant magi, & malefici? R. eos, qui hæresim externam committunt in suis artibus magicis incurrere excommunicationem latam contra hæreticos. Deinde qui astrologia judiciaria inquirunt, vel divinant de statu republicæ Christianæ, vel de vita, aut morte Pontificis pro tempore existentis, innodantur ipso facto excommunicatione lata ab Urbano VIII, & reservata Papæ a Benedicto XIV. in constitutione *Pastor bonus*. Denique Sacerdotes cujuscumque conditionis sint sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pænas a jure contra ipsos statutas, incurrunt perpetuam inhabilitatem ad sacrificii celebrationem ex decreto laudati Pontificis in congregatione generali Inquisitionis 5. Augusti 1745.

155. Inquires 5. Quis sit Judex criminis magiæ superstitionis? R. semper, ac detur hæresis admixta, aut vehemens illius suspicio, vel usus astrologiæ judicaria-

Tom. I.

riæ circa particularia contingentia, cognitio criminis pertinet ad fidei Inquisitores. Signa vehementis suspicionis hæresis quoad præsens quatuor sunt, nempe, pactum expressum cum Dæmone, miscere res sacras in maleficiis, Diabolum adorare, & consulere illum de rebus, quæ naturaliter cognosci non valent. Si autem crimen divinationis, aut maleficii sistat in mera superstitione absque hæresis suspicione, non attinet ad Inquisitores, sed ad Judices ecclesiasticos, vel laicos: quia est mixti fori, & datur locus præventioni: ut cavetur in cap. *Accusatis §. sane, de hæreticis in 6.*

CAPUT IV.

De tentatione Dei, sacrilegio, & blasphemia.

PUNCTUM I.

De tentatione Dei.

156. Inq. 1. Quid sit tentatio Dei? R. est *inordinatum experimentum alicujus divinæ perfectionis verbis, aut factis. Dicitur inordinatum experimentum, quia si ordinatum fuerit, justa interveniente causa, vel ex divino instinctu licitum erit. Et ita tentaverunt Deum Abraham, Geodeon, & S. Elias. Additur alicujus divinæ perfectionis, ut de Sapientia, Justitia, aut de Misericordia. Denique ponitur verbis, aut factis: quia utroque modo potest de Deo sumi experimentum. Igitur malitia hujus peccati consistit in irreverentia, quæ Deo fit, quando absque justa causa ex aliqua ignorantia, aut dubitatione verbis, aut factis de aliqua divina perfectione experimentum sumi intenditur, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 2. * Nota, quod tentatio in nobis est *motivum alliciens ad malum*, vel *retrahens a bono*. Provenit a tribus hostibus animæ, qui sunt Dæmon, mundus, & caro; a quolibet enim ex his oriri valet, & de facto oritur tentatio nostra, sed de hac non loquimur in præsentem.*

157. Dividitur tentatio Dei in *expressam, & interpretativam*. Expressa est, quando quis dictis, aut factis intendit de Deo experimentum sumere, ut qui ea

Vvv

id-

intentione oraret, ut exploret Dei potentiam, aut aliud divinum attributum: vel si e rupe te projicis, ut experiaris, an Deus te ladi permittat. Tentatio interpretativa est, quando licet expresse non dubites de aliqua perfectione Dei, neque intendas de ea experimentum sumere; agis tamen, vel dicis, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum: ut si toto quadragesimæ tempore ad imitationem Christi velles ab omni cibo abstinere, sperans a Deo te miraculose servandum: quod proculdubio esset Deum tentare.

158. Si autem quis temere periculo gravi se committat, quin a Deo opem expectet, quamvis peccet contra caritatem propriam, non tamen peccat contra religionem Deum tentando: quia ad tentationem Dei requiritur se exponere temere periculo cum spe, quod a Deo liberetur, in quo casu duplex committit peccatum, aliud contra caritatem, aliud contra religionem. Nec refert, quod sancta Agatha dixit: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui*, sperans a Domino salutem: quia hoc dixit, & fecit ex superiori instinctu, quo sciebat divinam voluntatem, ut vel infirmitates non pateretur, vel quod statim sentiret divinæ sanationis effectum, inquit D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. ad 3.

159. Inquires 2. An tentatio Dei sit semper peccatum mortale? R. affirm. nisi ex imperfecta deliberatione excusetur: quia in primis, si procedat ex dubio, aut ignorantia divinæ perfectionis, includit hæresim: alias probare Dei attributa ex causa, aut signo levi est gravis irreverentia: quia sic tentans velle Deum cooperari vanæ suæ curiositati: ergo non admittit parvitatem materiæ: unde, qui in morbo levi despicit medicinam, sperans se a Deo miraculose sanandum, contendit Deum in rebus levissimis exercere suam omnipotentiam. Cæterum non inferas omni morbo levi statim adhibendam medicinam: hoc enim esset verum facere: qui medice vivit, miserime vivit; præsertim religiosi potius debent inspicere suam professionem, quam suam complexionem, & contemptis morbis levibus, propriæ studere professioni, & carnis macerationi; imo omnes plus

debent attendere præceptis ecclesiasticis, quam corporis commoditati, & naturæ relinquere, ut plures indispositiones leves medeatur: nam aliud est tentare Deum in levibus, aliud levia patienter sustinere, donec Deo aliter fieri placuerit.

160. Inquires 3. An tentet Deum, qui ferro candenti, aqua ferventi, aut similibus contendit suam innocentiam manifestare? R. affirm. quia tali probatione expectatur a Deo miraculum absque justa causa: cum ad veritatem indagandam sufficientes testes, & alia signa a jure statuta. Ita D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3.

161. Objicies 1. Numer. 5. præcipitur, quod mulier suspecta de adulterio amaris aquis probetur. 2. Purgatio delicti ex ferro candenti pluribus miraculis fuit a Deo approbata. 3. Quia in Concilio Vermaciensi cap. 15. & habetur caps. Sape 2. q. 2. decernitur dare Eucharistiam monacho suspecto de furto ad ejus purgationem, ergo.

162. R. ad 1. fuisse decretum carnaliter, quod jam cessavit. Ad 2. Accidisse, vel quia talis probatio fiebat ex speciali Dei instinctu, vel quia, supposito peccato, voluit Deus illo medio innocentiam accusati manifestare. Ad 3. quod decreta illa abrogata sunt per contraria Ecclesiæ documenta: ut docet D. Th. 3. p. q. 80. art. 6. ad 3.

163. Ex quibus sequitur 1. Deum tentare, qui ad hereticorum conversionem, seu ad veritatem nostræ religionis confirmandam a Deo miracula absolute petit, aut offert, nisi ex peculiari Dei instinctu procedat; quia ad talia miracula nulla est necessitas, cum ad fidei confirmationem, & hereticorum conversionem sufficiens sit testimonium Ecclesiæ, & credibilitas fidei, & alias sciamus plures tyrannos ex miraculis potius fuisse obduratos, quam ad fidem conversos.

164. Sequitur 2. Tentare gravissime Deum, qui duellum acceptat ad ostensionem propriæ innocentie spectans sibi auxiliaturum: quia tale medium est crudele, repugnans ipsi Deo. 3. Qui absque prævio studio, & labore, causa non urgente, concionari præsumit sperans Deum sibi dicenda præstiturum. 4. Similiter

iter tentaret Deum, qui se tyrannis ad martirium ultro offerret absque causa, & speciali impulsu Spiritus sancti, quo concitati plures sancti id fecere: alias esset velle Deum sibi auxiliari præter insolitum, & provocare infideles ad peccatum grave committendum: quod etiam bona intentione sine causa illicitum est.

165. Inq. 4. An tentatio Dei expressa differat specie ab interpretativa? R. neg. quia taciti, & expressi eadem est ratio: unde professio explicita non differt specie a professione implicita: ita ergo nec tentatio Dei expressa ex se, nisi hæresim includat, specie differt ab interpretativa, sicut de pacto explicito, & implicito cum Dæmone diximus.

PUNCTUM II.

De sacrilegio.

166. Inq. 1. Quid sit sacrilegium? R. est violatio rei sacræ. Distinguitur a tentatione Dei, & aliis vitiis religioni oppositis in eo, quod hæc tendunt immediate contra ipsum Deum. Dividitur in sacrilegium contra personam sacram, contra locum sacram, & contra res sacras. Contra personam sacram, ut percussio religiosi, monialis, aut cujuslibet clerici, vel peccatum luxuriæ votum castitatis habentis. Contra locum sacram, ut furari, occidere, aut fornicare in Ecclesia. Contra res sacras, ut irreverentia contra calices, sanctorum reliquias, & imagines, contra sacramenta, & præcipue contra sacro-sanctam Eucharistiam.

167. Inq. 2. An præfata divisio sacrilegii sit specifica? R. affirm. quia diversitas sanctitatis in personis, locis, & rebus sacratis est formalis: ergo divisio sacrilegii in personam, locum, & res sacras est specifica. Ita D. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3.

168. Inq. 3. An prædicta divisio sacrilegii sit in species infirmas: hoc est, an comprehendat omnes species sacrilegii? R. affirm. nec dari aliam speciem sacrilegii ultra numeratas: quia licet possint dari plures modi læsionis. v. g. contra personam sacram, ut percutiendo clericum, & imponendo ei tributum; tamen

diversitas est materialis respectu sanctitatis personæ: ergo non dantur species sacrilegii præter tres enumeratas.

169. Inq. 4. Quæ actiones sint sacrilegium in personam sacram? R. sequentes 1. personæ sacræ violenta percussio. 2. Eiusdem pertractio ad forum seculare, & impositio vectigalium. 3. Impudicitia ab habente votum castitatis, vel cum ipso peracta. 4. Commixtio carnalis Confessarii cum filia spirituali, etiam extra occasionem confessionis. 5. Eadem commixtio cum persona spiritualiter conjuncta per baptismum, aut confirmationem. 6. Violatio cujuslibet voti, vel juramenti.

170. Inq. 5. Quænam sint sacrilegia in locum sacram? R. sequentia: 1. Incendere, infringere, diruere, aut demolire loca sacræ, seu altaria. 2. Extrahere per vim aliquem ab Ecclesia, seu oratorio publico, vel quolibet loco immunitatis privilegio gaudente. 3. Occisio hominis, & voluntaria effusio sanguinis, & seminis humani, licet occulta sit. 4. Mercatus, negotiationes, & convivia peragere in Ecclesiis, scenas, seu commedias representare, ludos, & quodlibet turpe in eis exercere, sues, vel jumenta, aut immunditias in Ecclesiam, velut in stabulum inducere. 5. Sepelire in Ecclesia excommunicatum vitandum, vel infidelem non baptizatum. 6. Congressus conjugalis absque necessitate. 7. Furtum de quibuscumque rebus in Ecclesia perpetratum: ut patet ex cap. Quisquis 17. q. 4. Ubi Joannes Papa declarat: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro.* Cæterum sacrilegus non est, qui a clerico res proprias, etiam ex beneficio ecclesiastico provenientes extra Ecclesiam furatur.

171. Inq. 6. An existens in Ecclesia, habensque voluntatem occidendi, aut mæchandi extra locum, sacrum sacrilegium committat? R. negat. nam actibus mere internis sanctitas loci sacri non violatur: ergo per voluntatem occidendi, aut mæchandi extra locum sacram non committitur sacrilegium. Idem intelligas de delectatione morosa absque periculo pollutionis in materia luxuriæ, & de desideriis circa alia peccata extra locum sacram

crum perpetranda. Cæterum si contra accidat, quod existens extra Ecclesiam velit in ea occidere, aut mœchari, sacrilegium committit: quia actus interior, & exterior circa idem objectum ejusdem rationis, & speciei sunt, sed occisio, & mœchia in Ecclesia sunt sacrilegium: ergo & actus interior occidendi, & mœchandi in ea. Unde sit regula generalis, quod omnis actio externa graviter peccaminosa in materia quinti, sexti, & septimi præcepti facta in Ecclesia grave sacrilegium est ob irreverentiam gravem loco sacro irrogatam, peccata vero mere interna in Ecclesia perpetrata non sunt sacrilegia gravia ob oppositam rationem, quia locus non offenditur nisi per actionem exteriorem, quamvis aliquam indecentiam afferant coram Deo, ob reverentiam peculiarem loco sacro debitam.

172. Inq. 7. Quæ actiones sint sacrilegium contra res sacras? R. sunt omnes actiones injuriarum, quæ fiunt contra ipsas. Quatuor autem ordines, seu gradus rerum sacrarum assignantur a Div. Thoma. In primo sunt sacramenta, & eorum ministri. In 2. Vasa sacra, imagines, & reliquæ sanctorum. In 3. Paramenta Ecclesiæ, & vestes ministrorum. In 4. Bona mobilia, & immobilia ad eorum sustentationem deputata: ut decimæ, & primitiæ. Unde indigna administratio, & receptio sacramentorum, gravis injuria contra res sacras, & reliquias sanctorum, vel contra vasa sacra, & vestes ministrorum, & quodcumque peccatum simoniæ est grave sacrilegium. Qui autem res sacras indigne tractavit, exprimeret in confessione qualitatem rei sacræ, & actionis; distinctum enim sacrilegium est irreverentia v. g. contra imaginem Christi, ac contra imaginem alicujus sancti.

173. Pariter est grave sacrilegium abusus verborum sacræ Scripturæ, non solum ad stabilienda mendacia contra fidem, sed ad facietas, seu profana, fabulosa, scurrilia, vel detractoria exprimenda. Item res & vestes sacras convertere in usus profanos. Appellatur denique sacrilegium in jure furari ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive mobilia, sive immobilia, & similiter retinere decimas, & primitias eis

debitas, licet hoc proprie sacrilegium non sit.

174. Omissione etiam circa hæc omnia sacrilegium, licet non adeo proprie committitur. Unde hujus sacrilegii obnoxii sunt non raro sacristiæ, & Parochi, qui negligunt sacra Christmata, & Eucharistiam clavibus diligenter custodire, necnon vasa sacra, corporalia, aliaque paramenta Ecclesiæ nitida, & munda, atque dealbata non servant, sed maculata, & foeda ad altissimum sacrificium ministrant: similiter ut sacrilegi procedunt, & severa reprehensione digni sunt, si in pixide sacras particulas corrumpi negligenter permittant, & quæ nolent adorare Eucharistiam, dum elevatur in Missa. Etiam juxta aliquos sacrilegium est omissio adimpletionis eujuscumque voti Deo facti, quia violatur res Deo dicata. Alii autem proprius tenent quod est infidelitas, ex D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. Vide *tr.* 11. n. 61.

175. Inq. 8. An omissio receptionis sacramentorum ex præcepto debite sit peccatum sacrilegii? R. neg. nam qui sacramenta non recipit, nullam rei sacræ injuriam irrogat: ergo licet violet præceptum obedientiæ, nullum sacrilegium committit. Unde qui in diebus festivis omittit sacram, aut operibus servilibus vacat, peccat quidem contra Ecclesiæ præcepta, tamen sacrilegii crimen non committit.

176. Inq. 9. Quanta sit gravitas sacrilegii? R. peccatum sacrilegii ex genere suo esse mortale: ideoque gravius, quo sanctior est res sacra, quæ violatur. Admittit tamen parvitatem materiæ, ideoque veniale esse potest, non solum ex imperfecta deliberatione, sed etiam ex materiæ levitate, ut patet in percussione levi clerici, & in furto etiam levis materiæ. Valet tamen aliquando esse peccatum grave: licet materia videatur levis, ut si laicus leve tributum clerico imponeret, aut brevi tempore incarceration: quia in his, & similibus casibus sacrilegium non sumitur ex quantitate tributi, sed ex jurisdictione usurpata, quæ etiam in parva pecunia, aut brevi tempore tota usurpatur; graveque sacrilegium constituit.

177. Inq. 10. Quæ pœnæ sint institu-

ta: pro crimine sacrilegii? R. quod alia est poena pecuniaria, quæ ante iudicis sententiam non debetur. Alia spiritualis, quæ ipso facto incurritur in sequentibus. 1. In percussione violenta clericorum, vel monachorum. 2. In violatione ecclesiasticæ immunitatis; sive tributa imponendo, sive personas ecclesiasticas ad forum sæculare trahendo, vel bona ecclesiastica usurpando, vel reos a loco sacro extrahendo. Denique excommunicantur ipso facto, expoliantes res sacras, Ecclesias effringendo, ut patet ex *cap. Conquesti. 22. de sent. excom. 1. tit. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1.*

178. Alia sunt pœnæ, quæ pro iudicis arbitrio contra sacrilegos possunt imponi, etiam usque ad mortem sacrilegii. Unde si quis furaretur pixidem, in qua sacra Eucharistia asservatur, licet levissimæ valoris esset, pœna capitis puniri deberet: quia esto in ratione furti non esset adeo grave peccatum, in ratione tamen sacrilegii gravissimum foret.

179. Inq. 1. Quid sit blasphemia? R. est falsa locutio in Deum per modum contumelie. Dicitur locutio, quia proprie consistit in locutione sive interna, sive externa. Additur falsa, quia tribuit Deo, quod non habet, ut si dicat esse injustum, vel neget, quod habet, ut si dicat non esse sapientem. Aliquando etiam locutio ex se vera potest esse ex prava intentione blasphemia inhonorativa, ut nominare pudenda Christi, vel illud Juliani Apostatæ: *vicisti, Galilee, vicisti.* Dicitur in Deum, quia solum respectu Dei est proprie blasphemia, utpote dehonoriatio bonitatis divinæ. Ita D. Th. 2. 2. q. 13. a. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1.

180. Dividitur 1. in blasphemiam cordis, & oris. 1. dicitur, dum quis in mente tantum concepit in Deo, quod non habet, aut deficere ei, quod habet. Secunda datur, quando derogatio interior divinæ bonitatis verbis manifestatur. Secundo dividitur in blasphemiam hereticalem, & simplicem. Hereticalis est, quæ fidei opponitur: ut dicere *Deus non est sapiens, abnego Deum, aut crucein*

Christi, quod, si dicatur cum errore intellectus, est hæresis; si autem absque errore proferatur, dicitur *hereticalis*. Blasphemia simplex est, quæ nulli veritati fidei opponitur, sed aliquid malum Deo optat, vel imprecatur, ut qui diceret, *maledictus sit Deus: tpeat Deum,* aut similia. Ad hanc blasphemiam simplicem reducuntur blasphemie per facta, aut gestus, ut expuere in crucifixum, & maledictiones in creaturas, quatenus sunt creaturæ Dei. Item alia est blasphemia in Christum, alia in Spiritum sanctum. Primum proferebant Judæi dicendo Christum potatorem, & voracem: secundam, dum irridebant ejus vitium mortuos suscitandi. Ita D. Th. 2. 2. q. 14. a. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1. de iur. 1. c. 1.

181. Tertio dividitur in blasphemiam in Deum, & in sanctos. Illa est, quæ immediate fertur contra Deum: ista vero, quæ fertur immediate contra sanctos, & mediate contra bonitatem divinam, prout est in sanctis. Unde sicut laus sanctorum redundat in Deum, ita & blasphemia in sanctos derogat divinæ bonitati.

182. Inq. 2. Quibus verbis committatur blasphemia? R. plures esse formulas blasphemandi juxta varietatem regionum: quæ præcipue inspicienda est ad dignoscendum, an verba prolata sint blasphemia. Igitur regulariter committunt blasphemiam, qui jurant per Jovem, Mercurium, vel alios Deos falsos, quia sic jurans demonstrat illos esse summe veraces; nisi juret per irrisionem. Qui jurat per creaturas sistendo in eis, quod est tribuere illis honorem Deo debitum. Qui jurat per *Dei vitam*, quia sensus illius est, *amittat Deus vitam, si ita non est*; quod est juramentum execratorium. Dicere, *vivit Deus*, non est blasphemia, sed juramentum in Scriptura usitatum. Formula sequens, *hoc ita verum est, sicut Evangelium*, & similes ex se sunt blasphemie, licet aliquando excusentur a gravi propter ignorantiam. Jurare falsum non est blasphemia, sed perjurium, illa autem est peior isto, ut inquit D. Th. 2. 2. q. 13. a. 3. ad 2.

183. Inq. 3. Quanta sit gravitas blasphemie? R. ex genere suo esse peccatum mortale, quia repugnat caritati Dei, utpote derogans bonitati divinæ. Quæ ra-

tione non admittit parvitatem materiae, nec potest esse veniale; nisi ex defectu deliberationis. Imo ex genere suo est peccatum maximum, quia intra genus suum potest augeri usque ad maximam peccatum, ut blasphemiam ex odio Dei prolata; licet illa, quæ tantum opponitur virtuti religionis, & appellatur *simplex*, non sit adeo gravis, ut prædicta procedens ex odio Dei, & aliæ, quæ includunt infidelitatem, hæresim, aut desperationem.

184. Inq. 4. An omnes blasphemiam sint ejusdem speciei? R. blasphemias hæreticas, & ex odio Dei procedentes distinguuntur specie a blasphemis simplicibus: quia includunt odium Dei, vel afferunt hæresim, aut saltem opponuntur confessioni fidei; sed hæc peccata distinguuntur specie a blasphemis simplicibus, ut ex se patet: ergo prædictæ blasphemiam cum hæresi, & odio Dei prolatae absque dubio specie differunt a simplicibus; ideoque debent in confessione distinctæ manifestari; sicut etiam blasphemiam in B. Virginem, & in sanctos, quia istæ includunt præter speciem propriam aliam malitiam specie distinctam contra hyperdulam, aut duliam.

185. Inq. 5. An eodem impetu iræ proferens plures blasphemias, plura peccata committat? R. probabilius esse unum peccatum tantum committere; pro præxi autem explicandum est tempus, seu diuturnitas blasphemiarum, ut Confessarius discernere valeat saltem in confuso animum, & statum poenitentis.

186. Inq. 6. Quæ poenæ constitutæ sint blasphemis? R. in lege veteri poenam capituli impositam fuisse blasphemantibus, ut constat ex *Levit. 24*. Similiter jus civile commune ultimo supplicio blasphemos decernit puniendos, & omissis aliis poenis gravissimis per leges civiles municipales impositis, jus canonicum in capite statuitur, de maledictis, blasphemos septem diebus Dominicis ante fores Ecclesie, dum sacra peraguntur, astare decernit, ultimoque die Dominico absque pallio, & calcamentis ligatos corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis, antequam Ecclesiam ingrediantur, in pane, & aqua jejunare. Quod si facere renuerint, ingressu Eccle-

sie, & ecclesiastica sepultura privantur. Alias poenas tam pro clericis, quam pro laicis statuit Concilium Lateranense, ex quibus omnibus colligitur gravitas, & atrocitas peccati blasphemiam, ut eam Confessarius perpendens poenitentibus serio exponat.

187. Inq. 7. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum blasphemis? R. Si blasphemiam sunt simplices, & ab Episcopo non reservatae, valet Confessarius poenitentem recte dispositum absolvere. Si autem blasphemiam procedant ex errore, aut hæresi, sunt reservatae Pontifici, & in Hispania sanctæ Inquisitioni. Verum blasphemiam hæreticas absque hæresi, aut errore interno possunt a Confessariis, regularibus absolvi, sicut sortilegium, magia, & maleficium, dummodo ex errore mentis non proveniant. Debet autem omnis Confessarius severissimam poenitentiam imponere blasphemis, ut sic a tanto flagitio respiciant. Blasphemum consuetudinarium nullo modo debet absolvi, nisi studium emendationis in eo perspexerit. Poterit autem semel in tractu de poenitentia dicendo, imposita salutari poenitentia illum absolvere. Si autem antea admonitus non adhibuit curam emendationis, nullatenus absolvi valet, quantumvis clamet, & lacrimas effundat, sed mediis adhibitis absolutio differatur, experientia namque constat, hunc esse medium efficacem ad curandas, & evellendas similes consuetudines.

188. Inq. 8. An inconsiderate ex inveterata consuetudine blasphemans graviter peccet? R. quod blasphemans ex habitu, vel consuetudine, licet inconsiderate blasphemias proferat, graviter peccat: quia tales blasphemiam indirecte sunt volitæ, utpote ex habitu pravo procedentes. Si autem serio retractetur, & per poenitentiam consuetudo deleatur, licet ex lapsu lingue inadvertenter in blasphemias quis prorumpat, non erunt mortales ex imperfecta deliberatione. Nota aliud esse peccare ex consuetudine, seu ex vi habitus vitiosi; aliud peccare ex certa malitia, seu abjiciendo remedia peccati. Hoc secundum, non primum dicitur peccatum, & blasphemiam in Spiritum sanctum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 14. a. 1.

TRACTATUS UNDECIMUS

DE VOTO.

Cum votum sit actus religionis, pertinetque ad primum Decalogi præceptum; ideoque immediate post virtutem religionis de eo agimus sub eodem præcepto, licet alii in secundo illud explicent.

CAPUT I.

De spectantibus votum.

Præceptum I.

Nomen, natura, & conditiones voti.

1. Inq. 1. Unde dicitur votum? R. a verbo *voveo*; & tripliciter accipi valet. Primo, pro desiderio, proposito, aut voluntate aliquid faciendi, seu habendi: ipsa quippe desideria *piæ vota dicuntur*, juxta illud in canone Missæ: *tibi que reddunt vota sua. Secundo*, pro ipsa materia promissa, ut patet ex *Psalm. 49. Redde Altissimo vota tua. Tertio*, pro ipsa promissione ad Deum facta, & in hac acceptione est proprie votum, de quo agimus in præsentem ex D. Th. 2. 2. q. 88.

2. Inq. 2. Quid est votum? R. est deliberata promissio Deo facta de meliori bono. Quinque requiruntur conditiones ad verum votum. *Prima*, deliberatio, qua intellectus agnoscat obligationem, quam sibi imponit: *Secunda*, propositum, seu voluntas promittendi, sequæ obligandi. Aliqui addunt, & *exequendi promissum*; sed perperam, quia absque hac conditione stat verum votum. *Tertia*, ipsa promissio, qua quis se obligat Deo. *Quarta*, quod hæc promissio fiat Deo, cui soli vota proprie diriguntur. *Quinta*, quod sit de meliori bono: quidam ajunt, quod sit spontanea, sed vota etiam ex metu emissa, jure saltem naturæ sunt valida. D. Thom. ubi supra a. 1.

3. Non requiruntur verba, aut signa externa ad verum votum, sicut nec ad juramentum votivum: quia Dominus, ad

quem dirigitur, intuetur cor, in quo distinguitur votum ab omni promissione homini facta, quæ ut acceptetur, necessario debet signis, aut verbis manifestari. Aliquando tamen ad majorem certitudinem, & affectus excitationem optime potest, imo in professione religiosa debet votum verbis declarari, juxta illud *Psalm. 65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Votum essentialiter consistit in actu intellectus practici connotando voluntatem, quia est lex privata, quam sibi quisque imponit: igitur, sicut lex consistit in recto imperio practico intellectus connotando voluntatem Legislatoris, ita & votum. D. Thom. ibid.*

4. Inq. 3. Quenam deliberatio ad votum requiratur? R. ad votum necessariam esse plenam, perfectamque deliberationem, prout ad grave peccatum, seu ad perficiendum quemlibet contractum: quia obligatio voti est gravis, ergo ad eam imponendam perfecta deliberatio requiritur. Verum minime exigitur longum tempus, aut spatium, ut votum validum evadat, sed quod actus, quo emittitur, sit perfecte liber, voluntarius, & humanus, sicuti ad peccatum grave hoc ipsum sufficit, & requiritur. Similiter ad votum etiam de re levi, seu obligans tantum sub veniali requiritur perfecta deliberatio: quia votum ex natura sua plenam postulat deliberationem, sicut quælibet lex, esto alias de materia levi illam exigit.

5. Objice. Ad peccatum leve contra ipsum votum, vel aliud præceptum sufficit semiplena deliberatio, ergo etiam ad votum faciendum. R. neg. Consequ. Quia peccatum est de genere mali, & malum ex quocumque defectu: sed votum est de genere boni, bonum autem ex integra causa. Ultra quod, peccans nullam legem sibi imponit, sicut vovens: ad legem autem etiam in materia levi imponendam requiritur deliberatio perfecta.